

11706

1897

Budapest 1897

571

USNM

FORMICIDARUM SPECIES NOVÆ VEL MINUS COGNITÆ

IN COLLECTIONE MUSÆI NATIONALIS HUNGARICI,
QUAS IN NOVA-GUINEA, COLONIA GERMANICA, COLLEGIT L. BIRÓ.

A CAROLO EMERY,

in Archigymnasio Bononiensi zoologiae lectore publico descriptae.

(Tab. XIV—XV.)

I.

*Generis Strumigenys et affinium specierum c regione australi et orientali
revisio systematica.*

Gen. ORECTOGNATHUS F. SMITH.

Trans. ent. Soc. London (2) v. 2. p. 227. 1854.

1. O. Chyzeri n. sp. (Tab. XIV. fig. 1—2.)

Operaria. Thorace et petiolo nigris, capite, spinis epinoti* et gastere rufotestaceis, mandibulis, antennis pedibusque flavescentibus; nitidissima, capite foveolis rotundis, setulam microscopicam gerentibus consperso, foveolis similibus, sed multo minoribus hic et illic in thorace et petiolo; mandibulæ, antennæ et pedes parce pubescentes, ceterum sine pube, pilis erectis in corpore nullis.—Caput cordiforme vel potius sagittatum, postice utrinque angulatum et medio profunde excavatum, margine excavationis dorsali arcuato, ventrali utrinque biangulato, collo brevi, sed angusto, cum thorace conjunctum, fronte convexa, oculis majusculis, convexis, clypeo brevi, subopaco, subtilissime punctulato. Mandibulæ elongatæ, subrectæ, dentibus apicalibus 2 longis, subspiniformibus, introrsum versis, superiore simplici, inferiore bifido, margine mediali setulis nonnullis erectis instructo; a basi uniuersu jusque mandibulæ oritur seta longissima antrorsum versa. Antennæ 5-articulatæ, scapo gracili, terete, sine pilis erectis, articulo

* «Epinotum» = «segment médiaire», impropre cum metanoto quocum plurumque coalescit confusum; huic segmento pertinent spinæ vulgo metathoracicae. Sub nomine «gasteris» designantur hic segmenta abdominis petiolo sequentia: scilicet abdomen constat e petioli et gastere: petioli segmentum 2 rectius nomine «post-petioli» designandum.

3 cylindrico, duobus ultimis una longiore. Thorax sine suturis, epinoti dorso basi a latere viso concavo, spinis epinoti perlongis, ceterum omnino inermis. Petioli segmentum 1 longum, claviforme, arcuatum, muticum, nodo destitutum; 2 subtrapezoideum, multo brevius et paulo latius; gaster depressa, antice rotundata, postice acuminata. — L. 4 mm.

Ab unico specie hucusque nota (*O. antennatus* F. Sm. e Nova-Zelandia) structura capitidis, thoracis et pedunculi, nec non colore et sculptura omnino diversa.

Desiderio collectoris libenter annuens, speciem hanc inter omnes insignem et nonnullas alias clari arachnologi Dris. CORNELII CHYZER nomine designavi.

In silva Lemien prope Berlínhaven 3. Octob. 1896. specimen unicum.

Gen. RHOPALOTHRIX MAYR.

Sitzber. Akad. Wien, v. 61. p. 445. 1870.

Genus hucusque tantum ex America meridionali cognitum. In speciebus americanis antennæ constant articulis 8 vel 9. Species novæ papuanæ antennas 7-articulatas præbent.

2. *R. brevicornis* n. sp. (Tab. XIV. fig. 19.)

♀. Fusca, pedibus testaceis, opaca, setulis albidis subsquamiformibus copiose et pilis clavatis brevibus, crassis parcius conspersa. Caput latum, postice late arcuatim excavatum, angulis posticis obtusis, ab his usque ad limitem posticum serobis dilatatum, hic angulatum et antrorsum usque ad antennarum insertionem inæqualiter angustatum, superne inter clypeum et verticem impressione transversa. Mandibulæ trigonæ, denticulatae. Antennæ 7 articulatæ, scapo valde dilatato, prope basin lobato, pilis claviformibus magnis fimbriato, funiculi brevis articulis, præter ultimum, transversis, hoc præcedentibus 5 una longiore. Thorax brevis et latus, dorso arcuato, epinoto dentibus brevissimis, subrectangularibus instructo, inter ipsos excavato. Abdominis petioli segmentum 1 nodo paulo latiore quam longiore, 2 præcedente fere duplo latius, valde transversum, medio superne subsulcatum. Tibiarum apex et tarsorum articulus 1 setis nonnullis clavatis crassissimis. — L. $1\frac{1}{3}$ mm.

Friedrich-Wilhelmshafen ex foliis cribando collecta.

3. *R. procera* n. sp. (Tab. XI. fig. 18.)

♀. Fusco-ferruginea, pedibus obscure rufescentibus, subopaca, confertim punctulata, capite, thorace et pedunculo præterea foveolis in capite nonnunquam confluentibus ex quibus oriuntur setulæ flavidæ, brevissimæ, clavatae, superficie capitidis posteriore et gastere (præsertim in speciminibus detritis) minus opacis vel subnitidis. Caput subpentagonum, postice emar-

ginatum, ad marginem occipitalem medio impressum, impressione altera minus distincta, post clypeum transversa nec non ad frontis latera. Oculi minuti in margine scrobis. Mandibulae trigonae, denticulatae, creberrime punctatae, opacae. Antennarum 7-articulatarum scapus dilatatus et setis clavatis brevissimis fimbriatus; funiculus modice incrassatus, articulo penultimo vix crassiore quam longiore, ultimo quinque praecedentibus una haud longiore. Thorax sutura meso-metanotali impressa, promesonotali obsoleta, sed depressa, pronoto medio subsulcato, utrinque gibboso, epinoti dentibus infra in marginem membranaceum prolongatis. Petioli segmentum 1 postice cum nodo alto, longiore quam latiore; segmentum 2 marginibus lateralibus et posticis arcuatis, postice multo latius quam antice, superne sulco medio obsoleto, postice in foveam profundam desinente. Gasteris segmentum basale sulco longitudinali debili, sed basi magis distincto. Pedes setulis clavatis, brevibus copiose obsiti. — L. $3\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{4}$ mm.

♀. Operariæ simillima, robustior, oculis magnis et ocellis instructa, pronoto transverso, mesonoti scuto medio sulco lato et carina longitudinali antice abbreviata, scutello gibboso, pedunculo validiore, segmenti 1 nodo latiore quam longiore. — L. 5 mm. Alæ desunt.

Berlinhafen, Ins. Seleo et Friedrich-Wilhelmshafen. Cibrando folia decidua lecta. Lentissime deambulans.

Gen. EPOPOSTRUMA FOREL.

Ann. Soc. ent. Belgique v. 39. p. 422. 1895.

Subgenus *Epopostruma* a clar. FOREL in genere *Strumigenye* ad accipiendas duas species ex Australia conditum est. Rectius censeo ad dignitatem generis elevare. Dum numero articulorum antennarum cum *Strumigenye* convenit, oculis marginem scrobis dorsalem superantibus *Rhopalotrichi* proprius accedit et huic generi magis affinis esse videtur. Maxillæ in nova specie papuana lobo magno sub mandibulis prominent ut in generibus *Rhopalotricha* et *Ceratobasi*.

4. E. foliacea n. sp. (Tab. XV. fig. 20—21.)

♀. Picea, mandibulis, flagellis, pedunculi marginibus genibusque sordide flavo-testaceis, scapo dilutiore, tibiis tarsisque albidis; subopaca, minutissime punctulata et punctis majoribus confluentibus longitorm subrugosa, pedunculi segmento 2 medio et gastere nitidis, hac basi striatula; parce pubescens, sine pilis erectis nec claviformibus. Caput depresso, una cum scapis retractis, qui incisuras laterum explent, suborbiculare, postice arcuatim excisum, vertice transversim prominente, oculis majusculis, depresso, in margine scrobis, clypeo brevi, medio convexiusculo, antice truncato, mandibulis trigonis, margine externo arcuato, masticatorio subrecto, inæqualiter denticulato. Antennæ 6-articulatae, scapo dilatato,

prope basin lobato, flagelli articulis 2—4 sensim majoribus et crassioribus, ultimo praecedentibus 4 una majore. Thorax depresso, ad suturam meso-metanotalem vix impressus, pronoto marginato, humeris angulatis, epinoti dentibus infra in carinam membranaceam prolongatis. Abdominis petiolus segmenti primi nodo et segmento 2 utrinque margine foliaceo, pellucido, hoc praecedente majore, fere duplo latiore quam longiore, segmento 3 praecedente parum latiore, gasteris dorsum fere totum tegente. — L. $2\frac{1}{2}$ mm.

E silva Lemien prope Berlínhaven, specimen unicum cibrando lectum.

Gen. STRUMIGENYS F. SMITH.

Journ. ent. v. 1, p. 71. 1860.*

Specierum hujus generis e fauna indica et australi operariarum discriminatio tabulae analiticæ sequentis ope facilior fiet:

1. Mandibulæ angustæ, apice dentibus 2—3, basi approximatæ et a clypeo brevi haud tectæ	2
Mandibulæ margine masticatorii denticulato, basi distantes et a clypeo tectæ	15
2. Mandibulæ tenues, apice dentibus duobus apicalibus, sine dente præapicali	(Amboina) S. Doriæ EMERY.
Mandibulæ dentibus duobus apicalibus et dente præapicali instructæ	3
3. Dens præapicalis crassiusculus, brevior dimidia longitudine dentium apicalium; antennæ graciles; species majores	4
Dens præapicalis spiniformis, plerumque longior dimidia longitudine dentium apicalium; species minores	6
4. Caput latum, cordatum, postice profunde emarginatum	5
Caput latitudine maxima dimidio longius.	
	(Birmania) S. Feæ EMERY.
5. Dens præapicalis in margine mediali; genæ angulatæ.	
	(Papuasia) S. Loriæ EMERY.
Dens præapicalis in superficie mandibulæ dorsali, a margine mediali remotus; genæ haud angulatae.	
	(Papuasia) S. Chyzeri EMERY.
6. Mandibulæ breves, basi vel prope basin latæ, versus apicem sensim angustatæ	7
Mandibularum dimidii basalis margines subparallelæ	8
7. Mandibularum latitudo maxima præter basin.	
	(Ceylon) S. lyroessa Rog.

* Quoad synonymiam vide DALLA TORRE, Catal. Hym. Tom. VI. Formicidæ.

Mandibularum latitudo maxima ad basin.

(Papuasia) **S. Birói EMERY.**

8. Mandibulæ crassæ, ante dentem præapicalem sinuatae.

(Papuasia) **S. Horváthi EMERY.**

Mandibulæ angustiores, ante dentem præapicalem haud si-
nuatae 9

9. Mandibulæ breves, arcuatæ, capite triplo breviores; anten-
narum articuli 3—5 breves transversi.

(Papuasia) **S. Mocsáryi EMERY.**

Mandibulæ longiores, subrectæ, vel leviter arcuatæ; antennarum
articulus 5 semper longior quam crassior 10

10. Antennæ graciliores, articulo 5 tribus præcedentibus una parum
breviore; oculi majusculi, prominentes. Petioli nodus 1 lateri-
bus sine appendice spongiosa, vel appendice inconspicua 11

Antennæ crassiores, articulo 5 minus elongato; oculi minutiores;
petioli nodus 1 lateribus plerumque margine spongioso 13

11. Caput latius, cum mandibulis haud duplo longius quam latius.

(Papuasia) **S. Wallacei EMERY.**

Caput magis elongatum, cum mandibulis plus duplo longius quam
latius 12

12. Gracilior, oculis majoribus, antennis gracilioribus, articulo 5
sequente haud triplo breviore; petiolus sine marginibus
spongiosis (Papuasia) **S. Szalayi EMERY.**

Minus gracilis, antennarum articulo 5 sequente triplo breviore;
petioli segmentum 1 subtus, 2 etiam postice et lateribus
spongiosum (Papuasia) **S. Mayri EMERY.**

13. Antennarum articulus 5 præcedentibus duobus una multo longior.

(Papuasia) **S. Frivaldszkyi EMERY.**

Antennarum articulus 5 præcedentibus duobus haud vel parum
longior 14

14. Caput magis elongatum (Tab. XIV. fig. 13) cum mandibulis duplo
longius quam latius; mandibulæ dimidio capite parum bre-
viores; petioli segmenti 1 nodus utrinque late spongiosus.

(Ceylon, Indochina, Japonia, Papuasia, * Polynesia)

S. Godeffroyi MAYR.

cum var. **Lewisi MAYR.**

Caput minus elongatum (Tab. XIV. fig. 14) cum mandibulis haud
duplo longius quam latius; mandibulæ dimidio capite multo
breviores; petioli segmentum 1 lateribus haud spongiosum.

(Nova Zelandia) **S. perplexa F. SM.**

* Specimina duo legit L. BIRÓ.

15. Caput latum, scapo antennarum crassiusculo.

(Papuasia et Ins. Key) **S. capitata** F. SM.

Caput magis elongatum, scapo graciliore; ceterum præcedenti simillima sed paulo major. — L. $2\frac{1}{8}$ mm.

(Birmania) **S. Dohertyi** EMERY.*

5. **S. Loriae** n. sp. (Tab. XIV. fig. 3.)

♀. Rufo-testacea, punctatissima, opaca, gastere nitida, segmento basali basi costulato, disperse pubescens et pilis clavatis obsita, pedibus sine pilis erectis. Caput late cordiforme, postice profunde excisum, utrinque ante oculum incisum, post incisuram angulatum, genis angulo laterali prominente instructis, superne sulco longitudinali mediano et depressionibus transversis tribus signatum, scilicet una ante incisuram occipitis, altera inter incisuras præoculares, tertia post clypeum. Clypeus antice emarginatus. Mandibulæ subparallelæ, validiusculæ, apicem versus sensim paulo dilatatae, margine mediali ante dentes apicales incisura instructæ, in qua sedem habet dens præapicalis brevis. Antennæ graciles, scapo pilis clavatis, arcuatis, subtilibus ornato, articulo 5 præcedentibus 3 una subæquali, ultimo præcedente duplo longiore. Thorax mesonoto antice haud prominente, utrinque submarginato, epinoto medio impresso, bispinoso. Petioli elongati segmentum 1 superne cum nodo obtuse anguloso, subtus margine spongioso; 2 subtus spongioso. — L. (cum mandibulis) 3— $3\frac{1}{4}$ mm.

Inter congeneres genus utrinque angulatim productis cognoscenda.

Friedrich-Wilhelmshafen. Legit etiam in *Papuasia orientali* Dom. L. LORIA, cui speciem dieavi.

6. **S. Chyzeri** n. sp. (Tab. XIV. fig. 4, 5, 6.)

♀. Obscure testaceo-ferruginea, opaca, punctatissima, pedunculo minus opaco, gastere fusca, nitida, segmento basali basi striato; disperse pubescens et pilis clavatis erectis, paucis obsita, pedibus sine pilis clavatis. Caput latum, cordiforme, postice profunde excisum, lateribus ante oculum profunde incisum, oculis convexis, prospicientibus, superne in vertice impressione lata, transversa et sulco medio longitudinali, clypeo antice arcuato et medio impresso. Mandibulæ validæ, subparallelæ, margine mediali ante apicem dilatato seu lobato et profunde sinuato, dentibus apicalibus robustis, subapicali minuto a margine mediali remoto, in superficie mandibulæ dorsali sito. Antennæ graciles, scapo pilis clavatis subtilibus fimbriato, articulo 5 præcedentibus 3 una longiore, ultimo præcedente duplo longiore. Thorax mesonoto antice elevato et medio impresso, utrinque subcarinato, postice declivi, epinoto bispinoso sine margine spongioso. Petioli elongati segmentum 1 postice cum nodo rotundato,


* Hanc novam speciem legit in Birmania W. DOHERTY; specimen unicum in coll. EMERYI.

subtus postice cum appendice spongiosa minuta; 2 lateribus et subtus spongiosum. — L. $2\frac{3}{4}$ mm.

♀. Operariæ simillima, capite latiore, mandibulis validiusculis, mesonoti scuto cum sulco medio, petioli validioris segmento 1 postice cum margine spongioso angusto. — L. $3\frac{1}{3}$ mm. Alæ vix fuscescentes, pilosulæ, vena marginali et stigmate fuscis, venis ceterum obsoletis.

♂. Niger, opacus, pedunculi segmento 2 et gastere nitidis, capite ovato, parum longiore quam latiore, mandibulis parvis, arcuatis, apicem versus sensim angustatis, acutissimis, epinoto utrinque dente acuto, petioli elongati segmento 2 subgloboso, præcedente haud latiore. — L. $2\frac{1}{2}$ mm.

Friedrich-Wilhelmshafen et in silva *Lemien* prope *Berlinhafen* cri-brando collecta.



Operariæ mandibulae ita divaricant, ut retrorsum oblique vertantur (Tab. XIV, fig. 6); repente adducendo eas cum levi crepitu, pulicis instar saliunt, longitudine saltus plerunque 20—37 cm; Dom. Biró semel saltum 47 cm observavit. Post saltum deflexo capite et ab domine plerumque in latus cadunt; mandibularum et gasteris partes lucidas inter pedes abscondunt et nisi moveantur in humo vix cerni possunt. Fœminæ nunquam salire visæ sunt.

Species generis *Anocheti* similiter motu mandibularum retrorsum salire a Dom. Biró visa est, tamen non longius quam 2—4 cm. Mandibulae non ultra lineam transversam divaricantur; insectum post saltum in pedes cadit.

7. S. Horváthi n. sp. (Tab. XIV. fig. 8.)

♀. Sordide testacea, tota opaca, capite, thorace (excepto epinoto),

mandibulis, antennis et pedibus setulis squamiformibus curvis, adpressis, flavido micantibus copiose conspersis, epinoto et abdome pilis erectis clavatis. Caput modice elongatum, postice excisum, anterius angustatum, superne æqualiter convexum, mandibulis capite plus quam dimidio brevioribus, subparallelis, crassis, margine mediali dentibus apicalibus valde elongatis et dente præapicali spiniformi armato, pone dentes sinuato. Antennæ crassiusculæ, scapo setulis clavatis brevibus fimbriato, articulis 3—4 brevibus transversis, 5 tribus præcedentibus una breviore, ultimo præcedente triplo longiore. Thorax dorso continuo, epinoti dentibus acutis, infra in marginem spongiosum productis. Petioli breviusculi segmentum 1 superne cum nodo crasso, infra cum margine spongioso; 2 infra et postice spongioso. — L. 1^{3/4} mm.

In honorem Dom. Dris. G. de HORVÁTH, Musæi Nationalis Hungarici Custos-Directoris et entomologi clari denominata.

Montes Hansemanni. Specimen unicum. Mandibularum structura a congeneribus agnoscenda.

8. *S. Wallacei* n. sp. (Tab. XIV. fig. 7.)

♀. Sordide ferruginea, opaca, confertissime punctata, mandibulis, antennis pedibusque rufescens, gastere nitida, nigra, basi rugoso-striata, capite thoraceque setulis flavidis squamiformibus conspersis. Caput latum, cordatum, postice excavatum, lateribus ad oculos magis convergentibus, superne depresso, ante lobos occipitis nec non post clypeum impressione transversa lata, superficiali, clypeo medio subemarginato, oculis majusculis, convexis. Mandibulæ elongatæ, graciles, subrectæ, dentibus apicalibus et subapicali spiniformibus. Antennæ scapo elongato, setis clavatis fimbriato, flagello haud incrassato, articulo penultimo 3 præcedentibus una paulo breviore. Thorax pronoto oblique deplanato, mesonoto gibboso, postice suturam meso-metanotalem versus abrupte descendens, spinis epinoti longis, subtilibus, pagina declivi paulo brevioribus, hac sine margine membranoso. Petioli segmentum 1 elongatum, subtus cum carina membranacea, nodi lateribus sine appendice spongiosa; 2 lateribus infra et postice anguste spongiosis. — L. 2^{3/4}—3 mm.

Capite late cordato et mandibulis gracilibus distinguenda.

In silva Lemien prope Berlínhaven cribrando collecta.

9. *S. Szalayi* n. sp. (Tab. XIV. fig. 10.)

♀. Gracilis, testacea, opaca, gastere picea, nitida, basi costulata, tenuiter et parce pubescens, pilis tenuibus, subclavatis conspersa, scapo sine pilis erectis. Caput elongatum, depresso, postice excavatum, ad oculos abrupte constrictum, oculis majusculis, prominulis, prospicientibus, clypeo antice arcuato. Mandibulæ lineares, rectæ, valde elongatae, dentibus apicalibus et præapicali spiniformibus, hoc oblique introrsum et sursum verso. Antennæ graciles, scapo tenui, arcuato, articulo 5 tribus præcedentibus una paulo

breviore, ultimo præcedente haud triplo longiore. Thorax gracilis, pronoto superne depresso et utrinque obtuse angulato, mesonoto antice prominente, posterius declivi et a meta-epinoto impressione debili separato, hoc spinis tenuibus instructo. Petiolum lateribus et infra appendicibus spongiosis destitutus, segmento 1 gracili, cum nodo parvo, rotundato, 2 subrotundo, postice limbo membranaceo tenuissimo. — L. $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{5}$ mm.

♀. Capite minus elongato et latiore, oculis majoribus, antennis mandibulisque minus gracilibus, petiolo validiore cum segmento 2 latiore quam longiore ab operaria differt. Color obscurior, scutello fusco. — L. 3 mm.

Capite elongato et petiolo appendicibus carente insignis. Eximio Directori Musæi Nationalis Hungarici E. de SZALAY speciem dicavi.

Friedrich-Wilhelmshafen. Ins. Beliao et Ins. Seleo prope Berlin-hafen.

Nidus in ramo putrescente cum larvis et pupis in silva insulae Seleo inventus est; formicæ habitabant cuniculos ab insectis xylophagis excavatos; aperto nido, operariae immotæ stabant; mandibulas late aperientes, oblatam festucam repente mordebat, mandibulas cito rursus aperientes.

In operariarium pupis (fœminarum et marium non vidi) mandibulæ maxime divaricatae sunt, cuticula pupæ eas sacco lato involvente basi processum vacuum præbente qui denti basali *Acantognathi* et *Strumigenyum* quarundam homologus esse videtur. Clypei in iisdem pupis cuticula utrinque in appendicem vacuam antrorum producitur. Tab. XIV. fig. 11. hæc evidenter ad oculos demonstrabit.

10. S. Mayri n. sp. (Tab. XIV. fig. 12.)

♀. Rufo-testacea, opaca, abdominis pedunculi segmento 2 et gastere nitidis, hac postice fusca, basi striata, setulis subclavatis, curvis, discretis pubescens et pilis erectis haud clavatis parce conspersa. Caput modice elongatum, postice excisum et medio sulcatum, ad oculos majusculos convexos abrupte angustatum, clypeo antice arcuato. Mandibulæ lineares, minus tenues et longæ quam in *S. Szalayi*, sed similiter constructæ. Antennæ minus graciles, scapo setulis clavatis, adpressis, fimbriato, articulo ultimo præcedente triplo longiore. Thorax dorso haud depresso, pronoti lateribus rotundatis, mesonoti parte antica vix eminente, postice declivio concavo, sine impressione inter hoc segmentum et metanotum, spinæ breves, acutæ. Petioli modice elongati segmentum 1 subtus margine membranaceo, lateribus postice anguste spongiosis; segmentum 2 utrinque et postice limbo spongioso. — L. $1\frac{4}{5}$ —2 mm.

♀. Ab operaria differt solitis notis, i. e. capite latiore, mandibulis validioribus, oculis majoribus, antennis crassioribus, thorace diverso et petiolo robustiore. — L. $2\frac{1}{4}$ mm. Alæ pallide fuscantes, venis dilute fuscis.

Cum præcedente convenit oculis majusculis et capite ad oculos abrupte angustato; differt præcipue: statura minore et minus gracili atque petiolo marginibus spongiosis instructo.

Professori GUSTAVO MAYR vindobonensi, myrmecologiæ recentioris instauratori et amico dilectissimo speciem grato animo dicandam volui.

Prope Friedrich-Wilhelmshafen et Berlínhaven cibrando collecta.

11. **S. Frivaldszkyi** n. sp. (Tab. XIV. fig. 9.)

♀. Fusco-testacea vel fusco-ferruginea, opaca, mandibulis, antennis, pedibus et pedunculo pallide rufescens, gastere nitida, basi brevissime striatula; setulis curvatis discretis, flavidis pubescens et pilis longis obsita. Caput modice elongatum, postice minus profunde quam in præcedentibus excavatum, sulco medio indistineto, antrorum sensim sinuato-angustatum, oculis mediocribus, haud prominentibus, clypeo antice arcuato. Mandibulæ lineares, late arcuatæ, dentibus apicalibus et præapicali spiniformibus, hoc introrsum verso, a latere haud visibili. Antennæ scapo setulis subclavatis adpressis fimbriato, articulo penultimo crassiusculo, præcedentibus 3 una multo breviore, ultimo fusiformi, præcedente plusquam triplo longiore. Thorax dorso depresso, a latere viso continuo, i. e. sine depressione vel impressione in parte posteriore mesonoti, spinis epinoti brevibus, dentiformibus. Petiolus segmento 1 subitus margine spongioso, eius nodo et segmento 2 utrinque spongioso-limbatis. — L. $1\frac{1}{8}$ — $1\frac{1}{2}$ mm.

A præcedentibus et a *S. Godeffroyi* et *S. perplexa* differt statura multo minore, a prioribus præterea capite ad oculos haud abrupte constricto et dorso thoracis continuo; a *S. Godeffroyi* epinoto infra spinas sine limbo spongioso, a *S. perplexa* segmento petioli 2 opaco (in specie neozelandensi nitidissimo).

Speciem in memoriam clari entomologi hungarici JOANNIS FRIVALDSZKY denominavi.

Friedrich-Wilhelmshafen.

12. **S. Mocsáryi** n. sp. (Tab. XIV. fig. 15.)

♀. Testacea, abdominis apice fuscescente, punctatissima, opaca, gastere nitida, basi strigosa et opaca; disperse minute pubescens et pilis brevibus clavatis in corpore et pedibus obsita. Caput latiusculum, postice excavatum et antrorum sensim angustatum, clypei margine subsinuato, oculis minutis. Mandibulæ angustæ, capite triplo breviores, arcuatæ, apice incurvo, dentibus duobus apicalibus et dente præapicali spiniformi versus $\frac{2}{3}$ longitudinis sito instructæ. Antennæ breves, scapo modice incrassato, pilis clavatis curvis fimbriato, flagello crasso, articulis 3—4 minutis, transversis, 5 crassiore quam longiore, ultimo hoc fere quintuplo longiore. Thorax dorso post mesonotum impresso, epinoti dentibus acutis, infra membranaceis. Petoli validiusculi segmentum 1 infra marginem membranaceo longitudinali, 2 lateribus infra appendice spongiosa instructum. — L. $1\frac{1}{8}$ mm.

Speciem claro entomologo ALEXANDRO MOCSÁRY grato animo dicavi.

Montes Hansemanni et *Friedrich-Wilhelmshafen.*

13. **S. Birói** n. sp. (Tab. XIV. fig. 16.)

♀. Testacea, epinoto, pleuris, coxis abdomineque fuscis, vel tota testacea, abdominis apice fusco; opaca, gastere nitidissima; capite, thorace, pedunculo et membris setulis flavidis, curvatis, tenuibus copiose conspersis, pilis erectis in trunco tenuibus parcis. Caput modice elongatum, postice excisum, antrorsum angustatum, clypeo antice rotundato. Mandibulæ breves, arcuatæ, maximam latitudinem basi præbentes, apicem versus angustatæ, dentibus 2 apicalibus et præapicali spiniformibus armatæ. Antennæ crassiusculæ, scapo haud incrassato, setulis arcuatis ornato, articulo 5 tribus præcedentibus multo breviore ultimo præcedente fere quadruplo longiore. Thorax dorso continuo, loco spinarum utrinque appendice spongiosa albida. Nodi petioli ambo margine spongioso lato limbati. — L. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{2}{3}$ mm.

S. lyroessae Roe. proprius accedere videtur; sed mandibulis ultra basin haud dilatatis distincta.

Eximio collectori speciem dicare mihi gratum est.

Friedrich-Wilhelmshafen et Berlinhafen.

Gen. EPITRITUS EMERY.

Bull. Soc. ent. ital. v. 1. p. 136. 1869.

14. E. eurycerus n. sp. (Tab. XIV. fig. 17.)

♀. Fusco-testacea, antennis pedibusque flavescentibus, opaca, cerebrime punctulata, gastere nitida, basi striatula; squamulis minutissimis, parce conspersa. Caput late cordiforme, depresso, inter verticem et occiput impressione arcuata, transversa, clypeo antice arcuato. Mandibulæ graciles, dimidio capite breviores, subrectæ, dentibus longis, spiniformibus atque dente subapicali minore, similiter spiniformi ad $\frac{2}{3}$ longitudinis instructæ. Antennæ scapo laminæ trigonæ instar valde dilatato. Thorax suturis impressis, pronoto medio depressione longitudinali, epinoti dentibus acutis. Petioli segmentum 1 nodo subrotundo, 2 transversim ovale, postice et lateribus margine spongioso. — L. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ mm.

E silva Lemien prope Berlinhafen, specimina 4.

15. E. Emmæ EMERY.

(Bull. Soc. ent. ital. v. 22. p. 70. 1890.)

Specimina duo a L. BIRÓ in Papuasia prope Berlinhafen lecta a typo ex Antillarum insula S. Thomae vix nisi statura paulo majore differunt.

II.

Species novae et duo genera nova e subfamilia Myrmecinarum.

16. Myrmecina opaciventris n. sp.

♀. Nigra, obscure virescens, mandibulis, clava antennarum, trochan-

teribus, genibus tarsisque rufescens; pilosa, capite et thorace subnitidis, striatis, gastere opaca. Caput striis longitudinalibus regularibus, margine occipitali levigato, nitidissimo, clypeo utrinque obtuse carinato, lateribus striatulo, medio levi, nitido, antennarum scapo marginem occipitalem superante, funiculi articulis 6—8 vix crassioribus quam longioribus. Thorax dorso antice convexo, ante spinas sellae instar aliquantulum depresso, spinis longis, rectis, acutis, parum divergentibus, mesonoto omnino inermi, longitrussum striatus, striis retrorsum convergentibus et earum intersticiis confluentibus. Petiolus striis vel sulcis rudibus, minus regularibus; gaster superne subtilissime longitudinaliter rugoso-striata, opaca et punctis piligeris foveiformibus conspersa. — L. $3\frac{1}{2}$ mm.

17. *Myrmecina transversa* n. sp.

♀. Nigra, mandibulis, antennarum clava, coxis trochanteribus, genibus tarsisque obscure rufescens, pilosa, capite thoraceque striatis, subopacis, petiolo grosse sulcato, gastere nitidissima. Caput regularissime longitrussum striatum, striis in occipite divergentibus, clypeo utrinque obtuse carinato, inter carinas subplano, antice obtuse quadridenticulato. Antennae longiusculae, scapo marginem occipitalem superante, funiculi articulis ante clavam paulo crassioribus quam longioribus, clavae articulis 1—2 longioribus quam crassioribus. Thorax brevis, valde convexus, pronoto arcuatim transverse striato, striis pleurarum postice oblique ascenditibus et in meso-epinoto retrorsum, versus lineam medialem dorsi convergentibus, pronoti angulis inferioribus rotundatis, mesonoto omnino inermi, spinis epinoti longis, acutis. Petiolus sulcis longitudinalibus paucis, latis profundisque sculptus. — L. $2\frac{2}{3}$ —3 mm.

Cum praecedente in silva Lemien prope Berlinhafen cribrando lecta.

18. *Myrmecina brevicornis* n. sp.

♀. Nigra, nonnunquam obscure coerulescens, mandibulis, flagellis et pedibus (exceptis femoribus) obscurius dilutiusve rufescens, pilosa, capite, thorace et petiolo regulariter longitrussum striatis, subopacis, gastere et pedibus nitidissimis. Clypeus utrinque obtuse carinatus, inter carinas concavus, nitidissimus, margine inermi. Antennae crassae, scapo marginem occipitalem haud attingente, punctis elongatis, sulciformibus sculpto, funiculi articulis 3—8 brevibus, valde transversis, 2 brevissimo. Thorax sine suturis, pronoto infra angulato, mesonoto dentibus minutis, acutis, spinis epinoti brevibus, acutis. — L. 2— $2\frac{1}{2}$ mm.

Inter *Myrmecinae* species striatas statura minima et antennis brevibus crassisque agnoscenda.

E silva Lemien prope Berlinhafen.

Adnot. Specimen ex insula Halmahera in coll. EMERYI differt: striis capitis et thoracis minus regularibus, in pronoti dorso evanescentibus.

19. *Myrmecina punctata* n. sp.

♀. Ferruginea, capite supra obscuriore, gastere picea, pedibus rufescensibus, nitida, levigata, capite et promesonoto punctis piligeris majoribus, gastere punctis minutis conspersis, epinoto, pleuris petioloque rugosis, longe pilosa. Caput postice convexum, punctis piligeris antice et lateribus majoribus et crebrioribus, in vertice minoribus et minus frequentibus, genis rugosis, sulco frontali postice abbreviato, clypeo medio plano, utrinque obtuse carinato, lobo medio antice vix obtusissime tridentato, mandibulis nitidis, margine apicali longo, sinuato e denticulato. Antennæ crassæ, scapo valido, articulis 3—9 circiter duplo crassioribus quam longioribus. Thorax robustus, humeris obtuse angulatis, angulis pronoti inferioribus rotundatis, promesonoto convexo, epinoti parte basali irregulariter rugosa, antice depressione transversa, spinarum loco utrinque dente trigono acuto, parte declivi inter dentes concava. Petioli segmentum 1 subquadratum, grosse longitrosum rugosum; 2 breve, fere sesqui latius quam longius, postice rugis brevibus. Gaster ac pedes nitidissimi, punctis piligeris minutis. — L. $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ mm.

? ♂. Piceus, metathorace et petiolo ferrugineis, ore, antennarum basi, articulationibus pedum tarsisque rufescensibus. Caput transversum, oculis hemisphæricis, fere totum latus occupantibus, mandibulis minutissimis, antennarum articulis 5—8 vix longioribus quam crassioribus. Thorax levis, nitidus, disperse, minute punctatus, metathorace epinotoque rugosis, hoc utrinque dente obtuso. Petioli forma et sculptura ut in operaria. Alæ fuscatae. — L. $2\frac{2}{3}$ mm.

Operariæ specimina plura. An ♂ unicus in eodem vitro cum multis aliis formicis repertus huic speciei pertineat? — incertum est.

20. *Pristomyrmex levigatus* n. sp. (Tab. XV. fig. 24.)

♀. Fusco-ferruginea, capite gastereque piceis, levis et nitidissima, capite thoraceque punctis minutis, dispersissimis, piligeris, gastere impunctata, pedibus et scapo copiose breviter pilosis. Caput postice subtruncatum, angulis occipitis late rotundatis, clypei margine utrinque cum dente acuto, medio præterea dente obtusissimo, laminis frontalibus ultra oculos subtilater prolongatis, scrobe lata, haud profunda, levissima, antice rugis non nullis transversis, mandibulis haud striatis, ad dimidiā longitudinem marginis medialis dente magno, margine masticatorio 4-dentato. Antennæ breves et crassæ, articulis 4—7 circiter dimidio crassioribus quam longioribus, penultimo vix crassiore quam longiore, ultimo ovato, acuminato. Thorax dorso promesonoti depresso, medio impressione longitudinali lata, haud profunda, lateribus antice denticulo, seu angulo acuto, dein angulo obtuso, epinoto utrinque spinula seu dente subspiniformi acutissimo, sursum curvato. Petioli segmentum 1 haud duplo longius quam latius, lateribus subparallelis, postice in nodum rotundatum, vix latiorem quam longio-

rem elevatum; segmentum 2 nodo praecedentis parum majus et vix latius. L. 2— $2\frac{1}{8}$ mm.

Apud *Friedrich-Wilhelmshafen* et *Berlinhafen* lecta. Specimen ex insula *Woodlark* a L. LORIA lectum (in Mus. civ. Januensi) paulo majus ($2\frac{1}{2}$ mm) differt colore thoracis clariore et dentibus epinoti paulo brevioribus: ceterum typo simile.

21. *Pristomyrmex lucidus* n. sp.

♀. Praecedenti simillima, sed major, capite gastereque piceis, ceterum rufo-ferruginea, scapo, femoribus, tibiis et petioli nodis fuscatis. Caput punctis adhuc minutioribus, clypeo acute 3-dentato, basi medio distincte carinato, antennis minus crassis, articulis 4—7 haud dimidio crassioribus quam longioribus, penultimo longiore quam crassiore. Thorax dentibus pronoti obsoletis, rotundatis, dorso promesonoti minus depresso, haud distincte impresso, epinoti dentibus basi crassioribus et inter se minus distantibus. Petiolus angustior, segmento 1 duplo longiore quam latiore, antice longius pedunculato, nodis altioribus, minus crassis, superne attenuatis. — L. 3 mm.

Berlinhafen, specimen unicum.

22. *Pristomyrmex quadridens* n. sp. (Tab. XV. fig. 25.)

♀. Nigra, ore, antennis, pedibus petioloque obscure ferruginea, vel tota ferruginea, gastere picea; nitidissima, capite thoraceque foveolis rotundis, pilum erectum gerentibus parce conspersis, gastere pilis destituta, pedibus brevissime oblique pilosis. Caput cum mandibulis suborbiculare, clypei margine denticulato, inter clypeum et frontem serie foveolarum oblongarum transversa, laminis frontalibus usque ad oculos productis, scrobe lata, haud profunda, post insertionem antennae rugis transversis, antennarum articulis 3—8 paulo crassioribus quam longioribus. Thorax dorso depresso, subplanato, pronoto antice marginato et utrinque dente acuto, angulo infero rotundato, mesonoti lateribus lobulo brevissimo, indistincto, epinoti dentibus inter se proximis, brevioribus quam pronoti. Petiolus angustus, superne visus lateribus parallelis; segmenti 1 a latere visi clivus anticus concavus et posticus convexus nodum paulo magis quam dimidiæ segmenti longitudinis, superne obtuse angulatum limitant; segmentum 2 rotundatum, antice infra denticulo minuto. — L. 3 mm.

♀. Differt ab operaria antennis petioloque crassioribus, dentibus pronoti nullis, epinoti brevioribus. — L. $3\frac{2}{3}$ mm.

Apud *Friedrich-Wilhelmshafen* et *Berlinhafen*.

23. *Pristomyrmex Coggii* n. sp.

♀. Fusco-ferruginea, nitida, ore, antennis pedibusque rufescensibus, nitida, parce breviter pilosa, capite punctis magnis seu foveolis rotundis, umbilicatis, magis minusve in sulcos longitudinales confluentibus, punctis similibus nonnullis in thoracis dorsi lateribus, petiolo et gastere levigatis;

nitidissimis. Caput cum mandibulis rotundatum, postice vix subtruncatum, laminis frontalibus paulo ultra oculos subtiliter productis, clypeo antice acute bidentato, mandibularum margine mediali dente uno, margine apicali dentibus tribus. Antennæ crassiusculæ, articulis 3—7 valde transversis. Thorax pronoto antice marginato et utrinque acute angulato, post marginem impressione transversa, dorso depresso, lateribus inter pronotum et mesonotum sinuato, loco suturæ meso-metanotalis fortiter angustato ibique impresso, mesonoto sulco longitudinali lato, usque ad dentes epinoti producto, his trigonis acutis. Petiolus lateribus parallelis, segmento 1 minus quam duplo longiore quam latiore, postice nodo rotundato; segmento 2 precedente vix latiore et ipsius nodo parum longiore. — L. $1\frac{3}{4}$ —2 mm.

Speciem Dri ALEXANDRO COGGI, acarologo Cremonensi dicavi.

Montes Hansemanni et *Berlinhafen*.

Adnot. Ex genere *Pristomyrmex* Dom. BIRÓ legit præterea unam ♀ *P. parumpunctati* EMERY (ex *Friedrich-Wilhelmshafen*) et alteram (ex *Tamare*, Oudemaine insula) quam *P. Picteti* EMERY referendam puto: hujus speciei descripsi operariam ex *Sumatra*, nec mihi ex alia regione hucusque nota est.

24. *Tetramorium pacificum* MAYR.

Verb. Zool.-bot. Ges. Wien, v. 20. 1870. p. 972.

Subsp. *validiuseculum* n. subsp.

♀. A *T. pacifico* (typico) et *T. pacifico subscabro* EMERY differt: petiolo multo crassiore, haud conspicue compresso, rufius reticulato-rugoso; a *subscabro* præterea gasteris basi haud striata. Petoli nodus 1 in nova subspecie paulo longior quam latior, 2 distincte latior quam longior, transverse ovatus. Antennæ beviiores quam in *T. pacifico* (typico), fere ut in *subscabro*, cui ultimo propius accedere videtur. Spinæ epinoti longiores quam in ceteris formis *T. pacifici*.

Prope *Berlinhafen* collectum.

Adnot. Specimen a L. LORIA in *Moroka* (1300 m) lectum differt statura majore (4 mm), capite thoraceque superne medio levigatis, nitidulis nodisque petioli minus validis.

25. *Tetramorium ornatum* n. sp. (Tab. XV. fig. 27.)

♀. Fusco-picea vel fusco-ferruginea, mandibulis, antennis, articulationibus, tibiis, tarsisanoque magis minusve rufescensibus; nitida, capite sulcato-striato, thorace et petiolo rude, irregulariter reticulato-rugosis, gaster pedibusque levibus; flavidopilosa, pedibus pube brevi, vix abstante vestitis. Caput subquadratum, superne regularissime longitorm costatum (costis inter laminas frontales 11—13), subtus rugoso-reticulatum, laminis frontalibus ultra oculum productis, scrobe postice evanescente, clypeo striato-sulcato, mandibulis nitidis, partim debiliter striatis. Antennæ scapo marginem occipitalem haud attingente, funiculo crassiusculo, articulis 3—6

fortius transversis, clava parum incrassata. Thorax suturis nullis, haud marginatus, humeris rotundatis, dorso antice convexo, posterius late arcuato, suturae mesometanotalis loco subimpresso, spinis epinoti parte declivi hujus segmenti subaequilongis, tenuibus, acutis, subrectis, spinulis inferioribus majusculis, acutis. Petioli segmentum 1 claviforme, antice pedunculatum, postice sensim in nodum globosum incrassatum; segmentum 2 nodo praecedentis haud latius, sed brevius, transversim ovatum. Gaster nitidissima. L. $2\frac{1}{4}$ —3 mm.

Apud *Berlinhafen* cribrando collectum.

26. *Tetramorium pulchellum* n. sp. (Tab. XV. fig. 28.)

♀. Ferruginea vel ferrugineo-rufescens, thorace obscuriore, mandibulis, antennis pedibusque rufo-testaceis; nitidula, capite thoraceque fortius, regulariter reticulatis, petiolo ruguloso, gaster levigata; longe flavidio pilosa. Caput scrobe haud profunda, postice indistincte limitata, laminis frontalibus scapo aequilongis, ultra dimidium spatii quod est inter oculum et marginem occipitalem productis, oculis majusculis, convexis, clypeo modice convexo, longitrosum rugoso, mandibulis striatis. Antennae scapo haud crasso, articulis 3—6 transversis, sequentibus sensim longioribus et crassioribus, 8 tam longo quam crasso, clava modice incrassata. Thorax sine suturis, dorso arcuato et transversim convexo, nequaquam marginato, humeris rotundatis, epinoti spinis brevibus, acutis, sursum curvatis, spinulis inferioribus obtusis. Petiolus nodis irregulariter rugulosus, segmento 1 basi pedunculato, a latere viso subtus concavo, postice nodo subgloboso, 2 rotundato, nodo praecedentis parum breviore et vix latiore. Gaster nitidissima, praeter puncta piligera levigata. Pedes nitidissimi, pilosi. — L. 2 mm.

T. papuano EMERY et *T. curtulo* EMERY habitu et sculptura consimile, sed praesertim thorace omnino immarginato, humeris rotundatis, spinis sursum curvatis et petiolo minus robusto diversum. *T. tonganum* MAYR a nova specie capite longitrosum rugoso et scapo scrobeque longioribus differt.

Friedrich-Wilhelmshafen et *Berlinhafen*.

27. *Tetramorium melleum* n. sp. (Tab. XV. fig. 29—30.)

♀. Flava, opaca, confertim minute punctata, pedibus et gaster levidis; hic et illic setis singulis obtusis, in gaster pilis copiosioribus, ceterum sine pilis erectis et pube in trunco microscopica, in scapo pedibusque longiore, adpressa vestita. Caput lateribus ante oculos convergentibus, postice late emarginatum, laminis frontalibus ultra oculos tenuiter prolongatis, fronte obsolete longitrosum costulata, clypeo medio subcarinato et utrinque rugis nonnullis longitudinalibus, mandibulis opacis, subtiliter striatis, margine masticatorio longo, obliquo, dentibus apicalibus 2 majoribus et denticulis minutis 4 armatis. Antennae scapo gracili, marginem occi-

pitalem fere attingente, articulis 3—7 vix crassioribus quam longioribus, clava modice incrassata. Thorax latus, superne subdeplanatus, haud marginatus, suturis obsoletis, pronoto utrinque gibboso, loco suturæ mesometanotalis impressus, spinis epinoti longis, erectis, subrectis, sed leviter flexuosis, valde divergentibus, pagina declivi inter eas punctulata, sed nitida. Petioli segmentum 1 antice pedunculo compresso, postice nodo transverse ovato; 2 latius, similiter ovatum. — L. $2\frac{1}{2}$ mm.

Ex insula Beliao propo Friedrich-Wilhelmshafen; specimen unicum.

28. *Tetramorium scrobiferum* n. sp. (Tab. XV. fig. 31.)

♀. Fusco-nigra, mandibulis, antennis, articulationibus tarsisque rufescens, opaca; capite thorace petioloque subtiliter punctato-reticulatis, capite, pronoto, pleuris et petiolo præterea subreticulato-rugosis, thoracis dorso longitrorsum ruguloso, gastere subtilissime et valde confertim punctulata, pedibus nitidis; pilis brevibus, erectis, obtusis, albidis ubique conspersa. Caput utrinque scrobe lata et profunda, ultra oculum desinente, postice submarginata, scapum totum accipiente, oculis medioriter convexis, fronte convexiuscula, rugis magis longitudinalibus sculpta, vertice rugis potius reticulatis, clypeo longitrorsum striato, antice deflexo, mandibulis striatis, 5—6 dentatis. Antennæ breves et crassæ, articulis 3—8 valde transversis. Thorax dorso arcuato, transversim convexo, haud marginato, sine suturarum vestigio, pronoti humeris angulatis, epinoti parte declivi opaca, a parte basali haud separata, utrinque spina obliqua, aliquantulum deorsum curvata, spinulis inferioribus nullis. Petioli segmentum 1 subglobosum, haud pedunculatum, antice depresso, et utrinque denticulo acuto; 2 brevius et paulo latius, transverse ovatum. — L. $2\frac{3}{4}$ — $3\frac{1}{4}$ mm.

Prope Berlinhafen collecta.

Adnot. Ob clypeum deflexum, scroberem profundam, antennas breves et crassas, atque segmentum petioli 1 haud petiolatum aliquid habitus generis *Calyptomyrmex* habet; hoc genus cum *Tetramorio* conneetere videtur.

Calyptomyrmex Beccarii EMERY, quem ex insula Amboina descripseram, a Dom. BIRÓ etiam in Papuasia collectum est.

29. *Xiphomyrmex costatus* n. sp. (typicus). (Tab. XV. fig. 26.)

♀. Rufa, capite, scapo, femoribus, tibiis, petioli nodis et gastere fuscis; nitida, parce pilosa. Caput scrobe ultra oculos prolongata, fronte inter laminas frontales carinis 5 regularibus, parallelis, usque ad occiput prolongatis, quarum media antice bifida, genis et lateribus pone oculos rugis longitudinalibus minus regularibus, clypeo medio carinato, lateribus cum rugis nonnullis, mandibulis præcipue ad marginem dentatum subtiliter striatulis. Antennæ scapo marginem occipitis superante, articulis flagelli omnibus longioribus quam crassioribus, clava parum incrassata. Thorax pronoto submarginato et superne longitrorsum costato, ceterum irregulariter grosse rugoso-reticulatus, spinis epinoti longis, divergentibus, inter spinas

levigatus. Abdomen nitidum, leve, petioli segmento 1 longe pedunculato; nodo transverso, altiore quam longiore; 2 transverse ovato, præcedente parum latiore. — L. $3\frac{1}{4}$ —4.

Subsp. **deficiens** n. subsp.

♀. Differt a typo: frontis carinis tantum 3 complétis, postice minus regularibus; adsunt inter eas aliae 2 vel 4 carinæ antice evanescentes; antennis brevioribus, articulis 3—7 tam crassis quam longis; epinoti spinis minus longis; petioli segmento 1 minus longe pedunculato. Color fuscus, capite femoribusque piceis.

Subsp. **flavescens** n. subsp.

♀. Specimina alia differunt colore flavotestaceo, femoribus fuscis, capite gastereque nonnunquam fuscatis, carinis frontis ut in subsp. *deficiente*, sed in vertice magis minusve in retem confluentibus; antennæ paulo longiores quam in subsp. *deficiente*: petioli segmentum 1 gracilis longiusque pedunculatum quam in typo speciei, nodis vix latioribus quam longioribus.

In silva Lemien prope *Berlinhafen* et aliis locis.

30. **Triglyphothrix fulviceps** n. sp.

♀. Nigra, capite, trochanteribus anoque rufo-fulvis, tarsis posterioribus testaceis, tibiis tarsisque anticis flavidis. Capite, thorace et petiolo opacissimis et punctis pubigeris dense cibratis, gastere subnitida, longitrorum punctato-sulcata; pube trifida densissima, velutino-villosa. Caput subrectangulare, angulis rotundatis, clypei margine subrecto, foveis antennalibus scapi longitudine, hoc $\frac{3}{4}$ capitis laterum attingente, flagelli articulis ante clavam transversis, mandibulis striatis. Thorax latus, a latere visus convexus, superne subtrapezoideus, angulis anticis rotundatis, vix dimidio longior quam antice latus, spinis epinoti subtilibus, rectis, acutis. Petiolus nodis transverse ovatis, 1 paulo latiore quam longiore, 2 præcedente breviore et parum latiore. Pedes nitidi, villosi. — L. 2— $2\frac{1}{4}$ mm.

Superficie opacissima capitum et thoracis, sculptura abdominis et colore inter congeneres facile agnoscenda.

Friedrich-Wilhelmshafen, 2 specimina.

31. **Cardiocondyla nuda** MAYR.

Leptothorax nudus MAYR in: Sitz. Ber. Akad. Wien, v. 53. 1866, p. 508.

In insula Seleo apud *Berlinhafen* specimina plurima ♀♀ in herbis auxilio retis capta; inter ipsa duo specimina ♂; ♀ una ex insula Beliao prope *Friedrich-Wilhelmshafen*. ♂ et ♂ hucusque ignoti erant.

♀. Operariae simillima, paulo major, pedunculo robustiore. Alae desunt, sed deciduas adfuisse patet. — L. 2 mm.

♂. Apterous; testaceus, clava et vertice fuscatis, gastere fusca. Sculptura et pubescentia ut in operaria; mandibularum margo masticatorius minus obliquus, 5-dentatus. Antennæ 12-articulatæ, crassiores quam

operariæ et clavæ articulis duobus ultimis majoribus, antepenultimo minore. Thorax ut in operaria. Petiolus segmento 1 brevius pedunculato, nodo minus elevato, 2 subgloboso, vix latiore quam longiore. Genitalia minutissima. — L. $1\frac{1}{2}$ mm.

32. *Cardiocondyla paradoxa* n. sp. (Tab. XV. fig. 22—23.)

♀. Rufa vel ferruginea, capite præter mandibulas et gastere fuscis vel fusco-nigris; nitida, parce minutissime pubescens, sine pilis erectis. Caput oblongo ovatum, postice subtruncatum, foveolis parvis, rotundis et punctis minutissimis parce conspersum, oculis mediocribus, convexis, laminis frontalibus valde elevatis, super mandibulas productis, cum clypeo coalitis, mandibulis angustis, 4-dentatis. Antennæ tenues, scapo marginem occipitalem haud superante, flagello apice modice incrassato, articulis 3—7 paulo crassioribus quam longioribus. Thorax dorso promesonoti depresso, utrinque marginato, pronoti humeris angulatim productis (anguli apice rotundato) nitidissimus, foveolis minoribus quam capitidis consperso, pleuris epinotique dorso transverso, convexo subtiliter reticulatis, spinis inter se basi approximatis, parte declivi subæquilongis, horizontalibus, divergentibus. Petioli segmentum 1 epinoto longius, claviforme, postice nodo elongato, parum elevato, confertim reticulato-punctulato; 2 multo latius, lateribus rotundatum, latius quam longius, dispersissime punctatum. Gaster nitidissima fere impunctata. — L. $2\frac{2}{3}$ —3 mm.

Friedrich-Wilhelmshafen, specimina 5.

33. *Rogeria stigmatica* n. sp.

♀. Obscure fusca, ore, antennis, pedibus anoque rufescens; subopaca, capite thoraceque creberrime punctatis, punctis capitidis in sulcos longitudinales confluentibus, petioli nodis subtilius punctatis, gastere et pedibus nitidis, punctis piligeris minutissimis; pube adpressa, in capite et thorace transversa, in gastere longitudinali copiose vestita et pilis tenuibus erectis, in pedibus obliquis instructa. Caput oblongum, lateribus subparallelis, margine postico recto, angulis posticis rotundatis; oculi depresso, paulo ante dimidiā longitudinem capitidis laterum siti (stemmatibus circiter 30 majusculis, convexis compositi), clypeus basi bicarinatus, inter carinas sulco angusto; mandibulæ striatæ, 5-dentatae. Antennæ scapo marginem occipitalem haud attingente, articulis 3—9 transversis, clava elongata, modice incrassata. Thorax validus, pronoto lato, usque ad suturam meso-metanotalem sensim angustatus, lateribus meta-epinoti parallelis, dorso convexo, nequaquam marginato, sutura promesonotali obsoleta, meso-metanotali distincta et impressa, epinoti parte basali brevissima, declivi valde obliqua, subtiliter punctata, utrinque distinete marginata, margine in spinulam obliquam, subtilem, acutam producto, stigmate hujus segmenti magno, rotundo, margine stramineo circumscripto. Petioli segmentum 1 antice tenuiter pedunculatum, postice nodo magno, alto, rotundato; seg-

mentum 2 præcedentis nodo æquilongum, sed latius et minus altum, subglobosum. — L. $2\frac{1}{2}$ —3 mm.

Genus hucusque tantum ex America meridionali cognitum. Species papuana stigmatibus epinoti magnis, marginatis insignis.

Friedrich-Wilhelmshafen.

ADELOMYRMEX n. gen.

Operaria. Mandibulæ angustæ, margine masticatorio brevi, obliquo, dentato. Clypeus margine antico medio in lobum acutangulum apice truncatum, super mandibulas prominentem productus, postice inter laminas frontales anguste et breviter intersertus, lateribus angustus, margine postico ante antennarum insertionem haud elevato. Laminæ frontales breves, inter se proximæ. Oculi minuti in dimidia longitudine capitis laterum. Antennæ 12-articulatæ, clava 2-articulata, articulo ultimo præcedente multo majore. Thorax sutura promesonotali obsoleta, meso-metanotali impressa, angulis pronoti inferis acutis, metanoto armato. Petioli segmenta inter se subæqualia, ambo crassa, primum brevissime pedunculatum. Tibiæ posteriores sine calcaribus.

Foemina. Operariæ simillima; thorax antice globosus, pronoto superne haud tecto. Oculi majores; ocelli distincti. Alæ ignorantur.

Genus, ut videtur, *Rogeriae* et *Leptothoraci* affine. Inter omnes Myrmicinarum genera antennis 12-articulatis, clava biarticulata atque structura clypei insignis. In aliis generibus clava biarticulata instructis, antennæ numerum articulorum minorem præbent.

34. A. Birði n. sp. (Tab. XV. fig. 35, 36, 37.)

♀ et ♂. Obscure fusca, mandibulis, laminis frontalibus, antennis pedibusque rufescensibus, nitida. Pubes brevis, obliqua dispersissima, in flagello tantum copiosa; pili longissimi, apice obtusi sed non claviformes in toto corpore, nec non in seapo et pedibus, pauci, in clypeo copiosiores. Caput subquadratum, angulis posticis rotundatis, punctis discretis e quibus oritur pilus longus vel setula adpressa; puncta frontis et verticis in sulcos longitudinales confluent; genæ præterea subtiliter striatæ. Mandibulæ basi striatæ, margine apicali 4-dentato, margine mediali seu basali dentem gerente. Antennæ scapo marginem occipitis haud attingente, articulis 3—10 multo crassioribus quam longioribus, duobus ultimis clavam constituentibus, una longioribus reliquo flagello, ultimo præcedente quadruplo longiore et conspicue crassiore. Thorax punctis rudioribus et magis confluentibus sculptus, lateribus promesonoti suturam mesometanotalem versus modice impressam convergentibus; latera meta-epinoti postice divergentia in spinas epinoti validas, compressas, horizontales, infra in marginem cultratum partis epinoti declivis concavæ et superne transverse rugosæ productas

desinunt. Petioli segmenta fere æquilata, transverse ovalia, rude punctata : 2 superne sublevigatum ; primi segmenti a latere visi clivus anterior concavus cum posteriore aliquantum arcuato angulum obtusum efficit. Gaster lucida, punctis nonnullis piligeris. — L. operariæ $1\frac{1}{2}$ mm ; fœminæ $1\frac{2}{3}$ mm.

Montes Hansmanni, cribrando lecta.

LORDOMYRMA n. gen.

Operaria. — Mandibulæ trigonæ, margine apicali obliquo, dentato. Clypeus parte media elevata, utrinque carinata, inter carinas excavata, margine antico rotundato, inermi, margine postico ante antennarum insertio nem haud elevato. Fovea antennalis lata, aperta (*L. caledonica*) vel utrinque marginata et scapo brevior (*L. furcifera*), vel etiam postice marginata et totam antennam accipiens (*L. cryptocera*). Antennæ 12-articulatæ, clava 3-articulata, reliquo flagello longiore, articulo ultimo maximo, subcylindrico. Thorax superne absque suturis, loco suturæ meso-metanotalis impressus, promesonoto fornicato, prominente. Petiolus segmento 1 antice peduncutato, postice nodo alto, superne acuminato vel unispinoso. Pedes elongati, femoribus medio incrassatis, calcaribus posterioribus tenuibus.

Podomyrmae affinis; sed clypei, antennarum, thoracis et petioli structura discriminanda (clypeus in *Podomyrma* subplanus, vel modice convexus, plerumque medio carinatus sed non elevatus nec bicarinatus). Hoc novum genus institui pro *Podomyrma caledonica* ER. ANDRÉ et duabus speciebus novis papuanis.

35. *L. furcifera* n. sp. (Tab. XV. fig. 32—33.)

♀. Fusco-picea, ore, antennis, thoracis dimidio posteriore, femoribus, tarsis, petiolo et gasteris pagina ventrali ferrugineo-rufescens, nitidissimis ; levigata, punctis minutis, setas fuscas, crassiusculas ferentibus parce conspersa. Caput oblongum, lateribus subparallelis, postice late rotundatum, oculis ante dimidiā capitū laterū longitudinem, genis striatis, laminis frontalibus retro usque ad $\frac{3}{4}$ longitudinis capitū subtiliter prolongatis, fovea antennali utrinque lata, haud profunda, intus a lamina-frontali, extus a carina subtili limitata, postice aperta, clypeo medio bicarinato, margine antico medio arcuatim producto. Mandibulæ levigatae, elongato-trigonæ, margine apicali valde obliquo, apice bidentato, posterius irregulariter denticulato. Antennæ scapo laminam frontalem superante, angulos occipitis tamen haud attingente, flagello crasso, clava elongata modice incrassata, articulo penultimo præcedente circiter sesqui longiore, ultimo duobus præcedentibus una longiore sed præcedente vix crassiore. Thorax promesonoto valde convexo, subgloboso, antice acute marginato, margine utrinque in dentem desinente, meta-epinoto subselliformi, spinis

longissimis basi inter se proximis, valde divergentibus, extrorsum curvatis, acutissimis, spinulis inferioribus minutis, acutis. Petioli segmentum 1 postice parum latius quam antice, illuc nodo alto, subconico, spinam brevem, erectam, acutam gerente, postice transversim rugoso; segmentum 2 subrotundum, superne obtuse acuminatum, utrinque tuberculo minuto. Gaster subrotunda, fere tota a segmento basali tecta. Pedes longi, femoribus flexuosis. L. $3\frac{1}{2}$ mm.

E silva Lemien prope Berlinhafen; specimen unicum.

36. *L. cryptocera* n. sp. (Tab. XV. fig. 34.)

♀. Picea, mandibulis, antennis, articulationibus pedum tarsisque ferrugineis; nitidissima, punctis piligeris minutis conspersa. Caput longius quam latius, lateribus late arcuatiss, postice truncatum, angulis rotundatis, subtus utrinque marginatum, oculis ad dimidia capitis latera, lamina frontali prolongata, scrobem seu foveam antennalem intus limitante et cum carinula ejus marginem lateralem efficiente postice arcuatim confluente, genis, lateribus capitum extra scrobem et margine frontis laterali antice longitrorum striatis, clypeo antice elevato et bicarinato, margine rotundato, mandibularum levium margine apicali valde obliquo, denticulato. Antennae scapo brevi, flagello longiore, basi tenui, sed articulis 3—7 multo crassioribus quam longioribus, clava valde elongata et parum incrassata, articulo ultimo subcylindrico; antenna tota in scrobe accipitur, quæ basia carinula longitudinali in duos sulcos pro scapo et flagello partita est: sulcus pro flagello producitur antice (pro clavæ apice) inter clypeum et basin mandibulæ. Thorax promesonoto subhemisphærico, antice utrinque anguste marginato, superne et lateribus rugis nonnullis distantibus, inter mesonotum et metanotum sulco transverso profundo, in fundo longitrorum striato, pone sulcum carina transversa, epinoto inter spinas mediocres, obliquas, curvatas, acutas arcuatim rugoso, pleuris oblique rugosis. Petiolus segmento 1 basi pedunculato, postice nodo subrotundo, superne antice acuminato sed inermi, transversim irregulariter rugoso; 2 præcedentis nodo latiore, ovato, parum latiore quam longiore, sublevi. Gaster ovata, fere omnino a segmento basali tecta. Pedes minus longi quam in specie præcedenti, femoribus flexuosis, medio incrassatis. — L. 3 mm.

Cum præcedenti in silva Lemien prope Berlinhafen collecta, specimen unicum.

III.

Species novae ex subfamilii Dorylinarum et Ponerinarum.

37. *Proceratium papuanum* n. sp. (Tab. XV. fig. 38.)

♀. Rufo-testacea, fusco maculata, scilicet vertice, occipite, macula mesonoti scutelloque fuscis, abdome superne fusco-ferrugineo; subopaca, confertissime punctulata, copiose sericeo-flavido-pubescentia et parce pilosa.

Caput lateribus pone oculos parallelis, angulis posticis rotundatis, ante oculos angustatum, genis striatis, striis in foveam antennalem arcuatim productis. Antennæ articulis 4—10 crassis brevibusque, plus duplo crassioribus quam longioribus. Thorax epinoti parte basali brevissima, parte declivi, abrupta, concava, undique marginata, margine utrinque in denticulum producto. Petiolus squama haud crassa, circiter ut in *P. silaceo* Rog. ♀, subitus dente compresso, obtuso. Segmentum abdominis 3 minus elongatum, quam in speciebus americanis. — L. $2\frac{1}{2}$ mm.

Specimen unicum. A speciebus Americæ septentrionalis quarum ♀ innotuit differt præcipue statura minore, epinoti parte basali brevissima et segmento abdominis 3 minus elongato. Antennis crassis *P. brevicorni* EMERY propius accedere videtur.*

38. *Discothyrea clavicornis* n. sp. (Tab. XV. fig. 39—40.)

♀. Flava, opacissima, microscopice punctulata, et microscopice pubescens, capite thoraceque crebre, regulariter fossulis rotundis sculptis, pilis omnino destituta. Caput lateribus arcuatis, postice late emarginatum, angulis posticis rotundatis, oculis perminutis (ex 4—5 stemmatibus), clypei disco antice subtruncato, laminis frontalibus coalitis, superne dilatatis, mandibulis opacis, margine masticatorio concavo, edentulo, apice acutissimo. Antennæ 9-articulatae, scapo crassissimo, articulo 2 crassiore quam longiore, 3—6 brevissimis, 7—8 multo majoribus et sensim crassioribus, ultimo permagno, ovato, punctis oblongis scabro. Thorax dorso subdepresso, tamen haud marginato, posterius sensim angustato, epinoti truncati parte declivi concava, marginata. Abdomen segmento petiolarī minuto, cupuliformi, tota superficie postica cum segmento sequente articulato, infra cum dente compresso, obtuso, segmento 2 sequente longiore. — L. $1\frac{1}{2}$ mm.

Specimen unicum. Species structura antennarum 9-articulatarum et petioli, nec non sculptura capitis et thoracis insignis; a duabus hucusque descriptis (*D. testacea* Rog. ex America bor. et *D. antarctica* EMERY ex Nova-Zelandia) facile agnoscenda.

* *Proceratum lombokense* n. sp. — ♀. Sordide rufescens, nitida, punctata, pilosa et pubescens. Caput postice truncatum, angulis usque ad oculos rotundatis, ante oculos angustius, genis longitrussum, lateribus irregulariter punctato-rugosis. Antenne modice incrassatae, scapo reclinato ocellum imparem attingente, flagelli articulis mediis haud diuidio crassioribus quam longioribus, ultimo tribus præcedentibus una breviore. Thorax epinoto transversim rugoso, abrupte descendente, parte basali a declivi vix distincta, obsolete marginata, utrinque denticulo obscure fusco. Petoli squama minus crassa quam in *P. croceo* Rog., plus quam in *P. silaceo* Rog. (videantur figuræ in Zool. Jahrb. Syst., v. 8, t. 8, fig. 6 et 8). Segmentum abdominis 3 nitidissimum, minute et dispersissime punctatum. — L. $4\frac{1}{2}$ mm.

Sapit in insula Lombok; in altitudine m. 600 legit H. FRUHSTORFER. Specimen unicum in coll. EMERYI. Præsertim structura epinoti insignis.

39. **Sphinctomyrmex (Eusphinctus) cibratus** n. sp.

♀. Ferruginea, vel ferrugineo-testacea, antennarum scapo et articulo apicali pedibusque testaceis, vel flavo-testaceis; subopaca, toto corpore regulariter, crebre, grosse punctato, tenuiter pubescens, haud pilosa. Caput oblongum, lateribus subparallelis, postice aliquantum convergentibus, margine postico excavato, angulis acutis, oculis nullis, laminis frontalibus coailitis, postice elevatis, margine dorsali dilatato et canaliculato, antice circum antennarum insertionem flexis, foveis antennalibus magnis, postice haud confluentibus, sed carina media separatis, genis elevatis, tamen carina destitutis. Mandibulæ angustæ, acutæ, margine apicali denticulato, valde obliquo, arcuatim in marginem medialem transente. Antennæ 11-articulatae, breves, scapo retroverso dimidiâ capitis longitudinem haud superante, articulis 3—7 duplo crassioribus quam longioribus et sensim majoribus, ultimo crasso, ovali, reliquo flagello parum breviore. Thorax lateribus subparallelis, dorso depresso, haud marginato, parte epinoti declivi marginata, utrinque denticulo minuto. Abdominis segmentum petiolare thorace paulo angustius, subquadratum; segmenta sequentia petiolo et thorace ipso latiora, inter se subæquilata, secundo sequentibus parum longiore; pygidium rotundatum, muticum. — L. circiter 2 mm.

E silva Lemien prope Berlínhaven cribri ope lectus.

40. **Cerapachys marginata** n. sp. (Tab. XV. fig. 41.)

♀. Nigra, nitidissima, mandibulis, antennis pedibusque rufis, disperse minute punctata et pube obliqua fulva vestita. Caput oblongo-rectangulare, angulis posticis rotundatis, anticis acutis, carinam altam ferentibus, oculis modice convexis, magnis, plus quam tertiam partem capitis laterum occupantibus. Antennæ 12-articulatae, scapo reclinato circiter $\frac{2}{3}$ capitis longitudinis attingente, articulis 3—8 duplo crassioribus quam longioribus. Thorax quadrilaterus, dorso marginato, lateribus late arcuatis, angulis anticis obtusiusculis, posticis acutis, dentiformibus, pagina epinoti declivi plana, acute marginata. Abdominis segmenta duo prima quæ nominibus «petioli» et «postpetioli» designari possunt, dorso depresso, leviter convexo, marginato, æquilata, 1° transversim rectangulari, 2° longiore, minus breviter transverso, segmento 3° præcedentibus paulo latiore magis convexo lateribus carinato. — L. $2\frac{2}{3}$ mm.

Specimen unicum e silva Lemien prope Berlínhaven.

41. **Ooceræa papuana** n. sp. (Tab. XV. fig. 42—43.)

♀. Obscure ferruginea, capite fuscescente; subopaca, capite scabro, scilicet foveolis piligeris copiose sculpto, inter quas adsunt puncta minuta, thorace, petiolo et gastere minus scabris, punctis inæqualibus, quorum maxima foveolis capitis multo minora sunt; copiose pubescens et pilosa. Caput oblongum, thorace æquilatum, lateribus arcuatis, postice late excavatum, angulis anticis posticisque acutis, oculis obsoletis, laminis frontalibus

bus posterius in laminam verticalem, margine dorsali dilatato, longitrorsum sulcato instructam conjunctis, antice divergentibus et circum articulationem antennarum flexis; carina ab angulo capitis antico retrorsum producitur, foveam antennalem latam, quæ cum alterius lateris pone laminas frontales confluit limitans. Clypeus brevissimus. Mandibulæ trigonæ, acutæ, denticulatae. Antennæ 9-articulatae, breves, crassæ, articulo ultimo ovato, maximo. Thorax sine suturis, epinoti pagina declivi abrupta, concava undique acute marginata. Abdominis segmentum petiolare superne rotundatum, antice oblique truncatum et infra utrinque angulatum, angulis posticis obtusis; postpetiolus præcedente paulo latior et vix latior quam longior, rotundatus, antice subtus processu crasso, postice a gastere strictura profunda separatus; segmentum 3 (i. e. gasteris segmentum basale) præcedente multo majus, ovatum antice truncatum, angulis anticis rotundatis, circiter dimidio longius quam latius, fere totam gasterem tegens. — L. $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{2}{3}$ mm.

Montes Hansemanni et *Berlinhafen*.

42. Ooceræa pusilla n. sp.

♀. Præcedenti simillima, sed minor, minus opaca, capite regularius grosse punctato, haud scabro, interstitiis sine punctis minoribus, petioli segmento 1 antice abruptius truncato, postice distincte truncato, 2 paulo angustiore, latitudine sua maxima haud breviore. — L. vix 2 mm.

Montes Hansemanni, 2 specimina.

Adnot. Species papuanae hujus generis a specie ceylonensi (*O. fragosa* Rog.) differunt antennis 9-articulatis et abdome magis elongato.

43. Prionopelta majuscula n. sp.

♀. Testacea, nitida, minute punctulata, copiose longe pubescens, pilis præsertim in abdome longioribus et magis erectis. Caput oblongum, lateribus leviter arcuatæ, postice late emarginatum, oculis minutis, pone dimidium longitudinis laterum, clypei margine arcuato, denticulato, mandibulis angustis, 3-dentatis, dente apicali spiniformi, acuto. Antennæ 12-articulatae, scapo reclinato $\frac{3}{4}$ longitudinis capitis haud attingente, articulis 4—8 transversis, clava 4-articulata. Thorax suturis distinctis, loco suturæ meso-metanotalis fortius impressæ lateribus constrictus, pronoto mesonotoque simul ovatis, meta-epinoti lateribus postice subparallelis, superficie declivi obliqua, haud marginata. Abdominis segmentum petiolare transversum, antice posticeque truncatum, infra antice dente obtuso; segmentum 2 præcedente multo latius, sequente paulo angustius, strictura inter segm. 2 et 3 distincta. — L. 2— $2\frac{1}{2}$ mm.

♀. Ferrugineo-testacea, mandibulis, antennis pedibusque rufescientibus, capite subopaco, creberrime punctato, oculis magnis, paulo minus quam $\frac{1}{3}$ capitidis laterum occupantibus, antennis validioribus quam operariæ, thorace ovato, postice oblique truncato, petiolo trapezoideo, antice latiore

et abruptiore, segmento 2 magis transverso, 3 præcedente multo latiore. — L. $3\frac{1}{3}$ mm.

P. punctulatae MAYR proxime affinis, sed major; specimen typicum speciei americanæ anormaliter antennam 11-articulatam præbebat; alia specimina, sicut MAYR in epistola communicat et ipse observavi, antennis 12-articulatis instructa sunt.

In insula Beliao prope Friedrich-Wilhelmshafen cibrando collecta.

44. *Prionopelta opaca* n. sp. (Tab. XV. fig. 44—45.)

♀. Fusca, vel (immatura) ferrugineo-rufescens, ore, antennis pedibusque testaceis; capite opaco, creberrime, minute punctulato et punetis majoribus, pubigeris, confluentibus sculpto, thorace minus opaco, minus crebre punctulato et punctato, abdomine lucidulo, punctulis inter puncta pubigera haud confluentia obsoletis; pube obliqua copiosa, pilis erectis nullis. Caput oblongum, lateribus subrectis, postice truncatum, oculis paulo ante dimidiā longitudinem laterum, suleo frontali tenui, abbreviato, clypei margine antico arcuato, haud dentato, vix crenulato, mandibulis angustis, apice 3-dentatis, dente apicali spiniformi. Antennæ 12-articulatæ, scapo reclinato vix $\frac{3}{4}$ longitudinis capititis attingente, articulis 4—8 valde transversis, quatuor ultimis sensim majoribus et crassioribus, clavam constituentibus. Thorax sutura promesonotali distincta, mesometanotali obsoleta, sed impressione transversa haud profunda signata, epinoti pagina declivi marginata, margine ejus lateribus acuto, superne interrupto. Abdominis segmentum petiolare subrotundum, postice truncatum, a latere visum antice abrupte declive, infra antice dente obtuso; segmentum 2 præcedente latius, latius quam longius, sequente brevius, non angustius, strictura inter segmenta 2 et 3 conspicua. — L. $1\frac{3}{4}$ mm.

♂. Operariæ simillima, sed paulo major, capite minus elongato, oculis majusculis et ocellis instructo, thorace validuseculo, mesonoto super pronotum haud eminente, petiolo validiore, transverso, antice subtruncato. Alæ fuscatæ, stigmate inconspicuo, area cubitali una clausa et discoidali. — L. 2 mm.

♂. Niger, nitidus, mandibulis, antennarum scapo et articulo 2 pedibusque flavo-testaceis, capite thoraceque profunde, abdomine levius punctatis, punctis pubem fulvam gerentibus. Caput margine postico recto, angulis posticis rotundatis, lateribus antrorum divergentibus, oculis ipsorum plus quam dimidiā partem anteriorem occupantibus, clypeo convexo, antice rotundato, mandibulis angustis, arcuatis, margine apicali obliquo, 3-dentato, dente apicali longo, spiniformi. Antennæ 13-articulatæ, scapo longitudine duorum articulorum sequentium æquali, articulis flagelli apicem versus sensim paulo majoribus, sine clava distincta. Thorax ovatus, dorso depresso, scutello haud eminente, epinoto rotundato. Abdomen segmento petiolari magis rotundato quam in operaria, pygidio inermi. Geni-

talia minuta, abscondita, stipite simplice, rotundato, volsella minuta, sagitta uncinata; lamina subgenitalis trigona, apice obtusa, cerci minutissimi. Alæ ut in ♀ sed obscuriores. — L. $1\frac{2}{3}$ mm.

In locis plurimis cibrando lecta. Marem huic generi et speciei ob petioli clypeique formam, alarum venas et staturam referendum censui. A ♂ quem FOREL (Trans. ent. soc: London. 1893. p. 367, figura alæ) sub nomine *P. punctulatae* MAYR descriptis, differt præsertim stigmate alarum in illa specie magno, in nostra inconspicuo.

45. *Anochetus punctiventris* MAYR.

Verh. Z. B. Ges. Wien, v. 28. 1878. p. 659.

Subsp. *oceanicus* n. subsp.

(*A. punctiventris* EMERY in: Bull. Soc. ent Ital. v. 15. 1883. p. 148.) (nec MAYR.)

♀. *A. punctiventris* (typici) MAYR operariæ simillima, sed multo major, capitis partibus sculptis opacioribus, partibus nitidis minus extensis, antennis paulo longioribus et gracilioribus, squama pedunculi minus cuneiformi, id est margine dorsali crassiore agnoscenda. — L. (cum mandibulis) $3\frac{3}{4}$ —4 mm.

Prope Friedrich-Wilhelmshafen et Berlínhaven; etiam in Nova Caledonia occurrit, unde specimen prius nomine *A. punctiventris* irrite designavi.

46. *Anochetus Chirichinii* n. sp. (Tab. XV. fig. 46—47.)

♀. Fusca, capitis margine orali et lobis occipitis atque petiolo ferrugineis, mandibulis, antennis pedibusque rufo-ferrugineis; capite superne thoracisque dorso maxima parte opacis, subtiliter strigosis, foveis antennalibus, genis, margine occipitali, pronoti disco in medio, pleuris abdomineque levibus, nitidis. Caput latiusculum, postice profunde excavatum, marginibus lateralibus postice subparallelis, lobis oculigeris prominentibus, oculis mediocribus, mandibulis apicem versus sensim incrassatis, margine mediali ad $\frac{3}{5}$ suæ longitudinis dente acuto, apice solitus dentibus i. e. præapicali simplici, apicali basi cum subapicali brevi coalito. Thorax sutura promesonotali fortius, mesometanotali debilius transversim impressa, epinoto transversim rugoso, utrinque denticulo acuto, erecto. Squama petioli superne emarginata et utrinque dente subspiniformi instructa. — L. (cum mandibulis) $4\frac{1}{2}$ —5 mm.

Inter omnes congeneres dente mandibularum marginali insignis; petioli squama emarginata et epinoto bidentato ad species regionis neotropicæ proprius accedere videtur.

Montes Hansemanni.

FIGURARUM IN TABULIS XIV—XV. EXPLANATIO.

Tab. XIV.

- Fig. 1. *Orectognathus Chyzeri* ♀ superne.
 « 2. " " " ♀ a latere.
 « 3. *Strumigenys Loriae* ♀ caput.
 « 4. " *Chyzeri* ♀ a latere.
 « 5. " " " ♀ caput.
 « 6. " " " mandibulæ ad maximum divaricatæ.
 « 7. " *Wallacei* ♀ caput.
 « 8. " *Horváthi* ♀ caput.
 « 9. " *Frivaldszkyi* ♀ caput.
 « 10. " *Szalayi* ♀ caput.
 « 11. " " ♀ capitis nymphæ facies ventralis (antenna in uno latere tantum delineata).
 « 12. " *Mayri* ♀ caput.
 « 13. " *Godeffroyi* ♀ caput.
 « 14. " *perplexa* ♀ caput.
 « 15. " *Mocsáryi* ♀ caput.
 « 16. " *Birói* ♀ caput.
 « 17. *Epitritus eurycerus* ♀ caput.
 « 18. *Rhopalothrix procera* ♀ caput.
 « 19. " *brevicornis* ♀ caput.

★

Tab. XV.


- Fig. 20. *Epopostruma foliacea* ♀ superne.
 « 21. " " " ♀ a latere.
 « 22. *Cardiocondyla paradoxa* ♀ superne.
 « 23. " " " ♀ caput et prothorax a latere.
 « 24. *Pristomyrmex levigatus* ♀ thorax et petiolus.
 « 25. " *quadridens* ♀ " " "
 « 26. *Xiphomyrmex costatus* (typicus) ♀ epinotum et petiolus.
 « 27. *Tetramorium ornatum* ♀ " " "
 « 28. " *pulchellum* ♀ thoracis dorsum et petiolus.
 « 29. " *melleum* ♀ epinotum et petiolus a latere.
 « 30. " " " ♀ thorax et petiolus superne.
 « 31. " *scrobiferum* ♀ a latere.
 « 32. *Lordomyrma furcifera* ♀ thorax et abdomen oblique visa.
 « 33. " " " ♀ caput superne.
 « 34. " *cryptocerca* ♀ a latere.
 « 35. *Adelomyrmex Birói* ♀ a latere.

- Fig. 36. *Adelomyrmex Birói* ♀ capitis pars anterior superne.
" 37. " " ♀ antenna magis ampliata.
" 38. *Proceratium papuanum* ♀ epinotum et abdomen.
" 39. *Discothyrea clavicornis* ♀ a latere.
" 40. " " ♀ capitis pars anterior oblique visa.
" 41. *Cerapachys marginatus* ♀ superne.
" 42. *Ooceraea papuana* ♀ petiolus superne.
" 43. " " ♀ abdomen a latere.
" 44. *Prionopelta opaca* ♂ ala anterior.
" 45. " " ♂ genitalia.
" 46. *Anochetus Chirichinii* ♀ caput.
" 47. " " ♀ mandibulæ dextræ apex.

Természetrajzi Füzetek
XX.kötet, 1897

Emery C.

XIV. Tábla.



C. Emery del. et sc.

Litog. Mazzoni e Rizzoli - Bologna

Természetrajzi Füzetek
XX.kötet, 1897

Emery C.

XV. Tábla.

